



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIII. Gregorii Papae I. Ad Dominicvm Episcopvm  
Centvmcellensem. Commendat Luminosam viduam Zemarchi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

mœrore confusos, eo quod opinionis probatæ viros hinc paulatim subtrahi mundo conspicimus, quorum ruina in ipsis iam causarum effectibus comprobatur. Sed hinc nos solerti decet conuersionis cautela subducere, ne sua nos secum pariter ruina circumplicet. Et quidem amicorum nos amissio tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalitatis exposcit. Sed tamen amissum carnalis vitæ subsidium potens est ille consolari, qui vt adimeretur permittendo concessit, & ipse ad locum, qui destitutus erat, consolator accedere. Diacōnum vero Anatolium, quem ad vos dirigi poposcistis, hoc nos facere non posse, causæ magis modus quam rigoris austeritas facit. Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio episcopium commisimus disponendum.

Grat. dist.  
89. cap. 3.  
Anf. lib. 7.  
cap. 77.

## EPISTOLA XII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM DE VRBE VETERI.

Vt iniusta vexatio monasterii tollatur.

*Gregorius Ioanni episcopo de Vrbe veteri.*

Grat. 16. q.  
1. cap. 12.  
Anf. lib. 5.  
cap. 66.  
Polyc. lib. 1.  
tom. 1. Inf.  
epist. 34.  
lib. eodem.

**A**GAPITVS, abbas monasterii sancti Georgii, insinuat nobis plurima se a vestra sanctitate grauamina sustinere, & non solum in his, quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint inferre subsidium, verum etiam quod in eodem monasterio Missas prohibeatis celebrari: sepeliri etiam ibidem mortuos interdicatis. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi: & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Missas, nulla vltterius habita contradictione permittatis, ne denuo querelam de iis quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis Agapitus deponere compellatur.

## EPISTOLA XIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD DOMINICVM EPISCOPVM CENTVMCELLENSEM.

Commendat Luminosam viduam Zemarchi.

*Gregorius Dominico episcopo Centumcellensi.*

**O**FFICII quidem sacerdotalis est, vt viduis ac maritali regimime desolatis, impertiri solatia debeatis: vt

vnde in hoc mundo humana conditione priuantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. Quoniam ergo Infra libro 10. epist. 17. & 18. Luminosa honesta femina relicta carissimi Zemarchi tribuni, nostræ se post Deum tuitioni commisit, huic vos solatiari in quo sibi necesse fuerit admonemus, nullusque fit ei de quolibet molestus articulo. Sed quia comitiuam illam, quam vir eius agendam susceperat, nunc, Theodoro palatino concedente, ipsi est mulieri, vt peragere debeat, attributum, vel quem ipsi placuerit, donec presentis indicationis celebretur impletio, nullum de ea re quousque expleat inquietare permittas. Ita ergo facite, vt & Deum vobis faciatis pro rebus talibus debitorem, & noster huiusmodi, de impensis a vobis solatiis, propensius animus gratuletur.

## EPISTOLA XIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD DEMETRIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Præcipit hæreticos, etiam cum periculo, in communionem suscipere.

*Gregorius Demetrio episcopo Neapolitano.*

STEPHANVS presentium portitor, cum de quibusdam fidei catholicæ capitulis eius a via veritatis nutaret intentio, pro huius rei dubietate a catholicæ se ecclesiæ communionem suspenderit, donec eum Deus veritatis iudex ad viam rectitudinis reuocaret, quem recepta satisfactione in fide catholica communicasse cognoscas. Sed quia eum quosdam dubietatis suæ socios ibidem in Neapolitana ciuitate habere comperimus, hoc nobis de his quoque præfatus Stephanus pollicitus esse dignoscitur, vt si eorū ambiguitatem animæ nostræ interpositionis periculo sanaremus, ipsos etiam ad communionem catholicam sine mora posse vel reluctatione conuerti. Pro qua re presentibus epistolis admonemus, nostra fide, nostroque, sicut ipsi videntur, poposcisse periculo, eos in fidem catholicam communionemque suscipite, quibus potestis modis ad lucem de tenebris reuocate. Ne postquam ad nos huiusmodi causa perlata est, si silentio præterimus, de animabus eorum negligentia possimus subire iacturam.